



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

De reo manifesto dimisso impunito ab episcopo, vel presbytero, vel etiam diacono iudice, quid facere debeat patriarcha. Capvt XLIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

<sup>ANNO CHRISTI 325.</sup> judicium LXX. seniorum cum filiis Israel , qui causas suas Moysi proponebant: sic etiam & episcopi apud patriarcham facere debent, & dispertiatur benedictio patriarchæ secundum vires omni prouincia , & omni loco magno vel paruo , quæ sub potestate eius sunt , mittaturque ei singulis annis ut inde viuat & alatur. caretque excommunicatione hic Canon.

*De clero, vel monacho lapso in peccatum, & vocato semel & iterum & tertio, & non sistente se in iudicio.*

### CAPVT XLII.

Si quis ex clero , aut ex monachis lapsus fuerit in aliquod peccatum , & vocatus a congregatione , vt videatur causa eius , & purget peccatum suum , dato primum tempore ad veniendum , non venerit ; vocatusque iterum & tertio , obstinate non se sistat , eiiciatur de medio eorum , vt meritus est ; & insuper deponatur : & qui contradixerit , Synodus eum excommunicat.

*De reo manifesto dimisso impunito ab episcopo, vel presbytero, vel etiam diacono iudice, quid facere debeat patriarcha.*

### CAPVT XLIII.

Si ad episcopum, aut sacerdotem, aut diaconum allatum fuerit aliquod crimen manifestum , non opus est testimonii ad iudicandum. Quod si propter affectionem eum qui delictum commisit, non iudicauerint secundum meritam poenam, dimiserintque eum in peccato , & hoc postea patriarchæ patefactum fuerit, oportet ut ipse patriarcha iudicet eum qui crimen commisit , vt meritus est; illumque deponat qui habebat exploratum de crimine , & di-

*Concil. Tom. 2.*

Mm ij

misit eum qui commisit ; & illum item deponat  
qui fuit illius criminis socius : & quicumque con-  
tradixerit, a Synodo excommunicatur.

*Quomodo archiepiscopus episcopum sibi subiectum iudicare debeat.*

CAPVT XLIV.

Vt archiepiscopus nullum episcopum ex iis qui  
sub potestate eius sunt , cuius peccatum sciat , iu-  
dicet , nec imponat ei pœnitentiam pro peccato ,  
nisi interueniente patriarcha , qui rem explorate  
cognitam habeat : & qui non paruerit , a Synodo  
excommunicatur.

*De ratione admittendi querelas & iudicia archiepiscopi  
contra patriarcham suum.*

CAPVT XLV.

Vt non admittatur querela archiepiscopi con-  
tra suum patriarcham de vlo peccato , neque re-  
prehensio , neque iudicium , nisi adhibito altero  
patriarcha uno ex fratribus eius , qui eius causam  
excutiant. Et nullus in hac re archiepiscopo accu-  
satori faueat , neque cum eo consentiat , nisi auto-  
ritate alterius patriarchæ : & qui contradixerit , Sy-  
nodus eum excommunicat.

*Quomodo patriarcha querelam aut iudicium archiepiscopi contra  
archiepiscopum admittere debeat.*

CAPVT XLVI.

Neque patriarcha querelam vnius archiepisco-  
pi de alio archiepiscopo , qui sub potestate eius sit,  
accipiat , neque reprehensionem , neque iudicium  
super peccato eius , nisi altero archiepiscopo ex fra-